



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

R. Abbatii Sancti Martini Laudunensi Præmostratensis ordinis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

EPISCOPO ET DECANO  
O R. de sancto Medardo Canonico  
Silvanenensis.

Epist. 3.  
De codicis ne-  
goio.

**C**VM dilectus filius Abbas Corbeiensis ad nostram presentiam, ut Ecclesiae procuraret negotia, duxerit accendandum, pati aliquatenus non debemus ut si quid, postquam iter arripuit ad nostram presentiam veniendi, à quoquā est in ipsius Ecclesia gravamen & sui præjudicium attentatum, obtineat firmatatem. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus si quid, postquam idem Abbas iter ad nos veniendi arripuit, attentatum inveneritis in sui præjudicium & Corbeiensis Ecclesia detrimentum, illud in irritum sublato appellationis obstaculo revocetis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Quod si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero ea &c. Datum Laterani v. i. Kal. Martij, pontificatus nostri anno tertio decimo.

R. ABBATI SANCTI MARTINI  
Laudunensis Premonstratenensis ordinis.

Epist. 4.  
Vt monasterij  
sui sollicitam  
curam gerat.  
Cap. Intellexi  
mus. De state  
qual. & ordine  
praefaciend.

**I**Ntelleximus quod cùm antequam effes assumptus ad regimen abbatiae in monasterio tuo fueris laudabiliter convertatus, ad monasterium sancti Vincentij Laudunensis nigri ordinis accessisti; ubi cùm aliquandiu in ipso habitu permanesses, demum ad cor reversus, de Metropolitanis & aliorum religiosorum consilio ad primam domum curavisti redire; in qua tandem in regularis observantie disciplinā taliter Deo & hominibus placuisti quod pro taorum exigentia meritorum fratres tui te sibi præfecerunt unanimiter in paforem. Quia igitur in suscepito regime laudabiliter diceris profecisse, ne occasione moræ quam in prædicto monasterio proxaxisti, \* quasi de ipsa teneram conscientiam retinendo, in suscep̄ta administratio- nis executione repescas, attendentes quod in \* canone cautum est ne quis Canonicus regularis, nisi, quod absit, publicè lapsus fuerit, efficiatur monachus, & si factus fuerit, ad ordinem canonicum revertatur, ultimus in choro manendo, cucullam in memoriam delaturus, discretionem tuam monemus attenitus & hortamur, per apostolica tibi scripta mandantes quatinus circa curam gregis tibi commissi sollicitudinem gerere studeas indefessam, & taliter sequentia bona continuare prioribus quod dignum exinde possis à Deo meritum ex-

\* In quarta col-  
lect. quasi ipsa  
te conscientia  
remordeat, in  
fale.  
\* 19. q. 3. cap  
Mandamus.

peccare. Datum Laterani v. i. Kal. Martij, pontificatus nostri anno tertio decimo.

R O D E R I C O T O L E T A N O  
Archiepiscopo Hispaniarum Primi, ejusque successoribus canonice substituenda in perpetuum.

**S**ACROSANCTA ROMANA ECCLESIA in beato PETRO Apostolorum principe ab ipso salvatore omnium Domino Iesu Christo, caput est Ecclesiarum omnium constituta. Vnde membra non decet à capite disside-re, sed eminenti ratione & superna provi-sioni capit, obedire. MODERATRIX autem discretio capit, singulorum membrorum officiosas actiones considerans, unicuique jus & ordinem à natura constitutum con-servat, & quibuscumque nobilibus venusta, tis suæ dignitatem sine invidia sociali cari-tate custodit. Hac igitur ratione prudenter induci, jura nobilis & famosa Toletana Ecclesiae apostolicæ sedis propriae ac spe-cialis filiæ conservare volentes, tuis, vene-rabilis frater Roderice, quem vera in Chri-sto caritate diligimus, rationabilibus pos-tulationibus paterna pietatis affectu duximus annuendum. Ideoque per præsentem privilegij paginam, ad exemplar felicis recordationis Vrbani, Gelafij, Calixti, Honori, Eugenij, Adriani, Alexandri I. Alexandri II. Alexandri III. Vrbani, & Cælestini prædecessorum nostrorum, pri-matus dignitatem per Hispaniarum regna tibi & Ecclesiae Toletanae auctoritate apo-stolica confirmamus, teque Primatum Pra-fusiles Hispaniarum respicimus, & ad te re-ferent si quid inter eos dignum exortum fuerit questione. Salva tamen in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Verum per-sonam tuam in manu nostra propensione gratia retinentes, censemus ut solus Romani Pontifib[us] judicio ejus causa, si qua fuerit, decidatur. SANE Toletanam Eccle-siam præsentis privilegij stabilitate munien-tes, Complutensem parochiam & Con-cham ei tamquam metropoli subditas esse decernimus cum terminis suis, necnon & Ecclesiæ omnes quas jure proprio ab antiquo possedisse cognoscitur confirmantes. Episcopales præterea sedes quas in præ-sentiarij justè & canonice possides, scilicet Palentiam, Segobiā, Oxomam, Seguntiā, reliquas verò quæ ab antiquis ei temporibus subjacebant, cùm Dominus omnipotens Christianorum restituerit po-testati suæ dignatione misericordia, ad caput proprium referendas decreti hujus auctoritate facimus. Porrò illarum dioce-ses civitatum